

LUKÁŠ NOVÁK

*Scoti de conceptu entis doctrina
a Mastrio retractata
et contra Poncium propugnata*

Introductio

Ioannis Duns Scoti de conceptu entis doctrina, quæ merito pro fundamento principali metaphysici eius systematis habetur, magnam vim ad posteriores philosophophiæ cultores habebat. Subtilis vero doctor non adeo clare suam mentem explicavit, quin dubia ulla litesque de ea recte intelligenda fieri possent. Ipsa Scoti doctrina insuper nonnulla non nimis cohærentia continere videtur, quod ad diversas valde interpretationes ansam præbebat. Noster in hac dissertatione finis est has res obscuras ante oculos ponere duasque extremas solutiones lectori monstrare, quæ Scoti sententiam expolire hisque difficultatibus privare conantur. Primæ solutionis Bartholomæus Mastrius, cuius doctrinam exponere hic principaliter intendimus, alterius Ioannes Poncius, franciscanus Hibernus in exilio et celebris Luçæ Waddingi collega, auctores sunt. Nos horum virorum doctorum sententias non solum quam accuratissime exponere, sed etiam – quantum vires suffecerint – argumentorum adhibitorum efficaciam æstimare volumus, ut medulla problematis aperiatur.

Ad hanc rem melius illustrandam præterea nonnulla de historia huius materiæ tractandi præmittemus. Procedemus sic. Primo doctrinam de conceptus entis analogia, prout ante Scotum tradebatur, eiusque fundamenta breviter adumbrabimus. Deinde Scoti de conceptu entis mentem et modum non semper satis cla-

rum, quo argumenta traditionis contra univocationem entis solvebat, exponemus. Deinceps quomodo Mastrius doctrinam Scoti elucidare et expolire conatus est, sententiam oppositam Poncii impugnans, explicemus. In fine dicta constringemus conclusiones quasdam præbebimus.

1. *Sententia traditionis ante Scotum eiusque fundamenta*

Scoti de conceptu entis sententiæ præcipua novitas præ ceteris in hoc constitit, quod ille primo univocationem huius conceptus propugnabat defendebatque; in omni traditione nempe univocatio entis unanimiter solebat negari. Natura huius odii traditionis in univocationem entis bene apparebit, si fundamenta vel fontes eius declarabuntur. Hæc discerni possunt duo; utrumque fundamentum ex altera partium platonico-aristotelicæ traditionis emanat, utrumque speciale argumentum quoddam contra univocationem entis præ se fert, utrumque in alteram partem doctrinæ de conceptu entis influxit.

Fundamentum primum est aristotelicum: nam a trito illo Aristotelis “ens dicitur multipliciter” provenit, et cum Philosophi doctrina de prædicamentis est connexum, quæ ille pro veris summis generibus in conceptum quemcumque magis universalem et eis communem irreducibilibus habebat. Dictum hoc et doctrina argumento famoso de “aporia generis” innitebatur, quod tamquam una aporiarum quæ metaphysico sunt solvendæ in tertio libro *Metaphysicæ* ab Aristotele relatam est.¹ Hoc argumentum posterius variis verbis formisque exprimi solebat (ita v.g. a s. Thoma:² «Ens non potest esse genus alicuius, omne enim genus habet differentias quæ sunt extra essentiam generis; nulla autem differentia posset inveniri, quæ esset extra ens; quia non ens non potest esse differentia»). Videtur autem potestatem suam per-

1. Locus Aristotelis: «οὐχ οἷον τε δε τῶν ὄντων ἐν εἶναι γένος οὔτε τὸ ὄν· ἀνάγκη μὲν γὰρ τὰς διαφορὰς ἐκάστου γένους καὶ εἶναι καὶ μίαν εἶναι ἐκάστην, ἀδύνατον δὲ κατηγορεῖσθαι ἢ τὰ εἶδη τοῦ γένους ἐπὶ τῶν οἰκειῶν διαφορῶν ἢ τὸ γένος ἄνευ τῶν αὐτοῦ εἰδῶν, ὡστ' εἶπερ το ἐν γένος ἢ τὸ ὄν, οὐδεμία διαφορὰ οὔτε ὄν οὔτε ἐν εἶσται» (*Met.*, III, 998b24-27).

2. THOMAS AQUINAS, *Summa theologiæ*, I, q. 3, a. 5, co.

suadendi mox amittere incepisse,³ (licet a s. Thoma adhuc sine ullo dubio acceptum est, ut patet), qua de causa eius forma variis modis mutabatur, ut consequentia eius salvaretur, ita ut denique tota “aporia generis” ad controversiam valde subtilem reducta esset, sitne scilicet conceptus entis in comprehensione differentiarum contentus, an non, et si sit, utrum hoc obstat, quin sit genus (ut Aristoteles vult in *Topicis*⁴), an non. Iam Scotus non multum de “aporia generis” agebat, ut videbimus, et pro Scotistis barocis argumentum ille haud ullius momenti erat.

Fundamentum hoc primum, ut patet, hanc partem doctrinae de entis conceptu afficit et determinat, quæ de hoc conceptu prout prædicatur de decem prædicamentis agit. Per hoc autem totus scopus quæstionis non est peractus, secundum Scholasticum: remanet enim inquirere, quænam sit natura illi conceptus entis, qui non solum ens creatum in decem prædicamenta divisum complectitur, sed etiam Deum, causam transcendentem omnis entis creati: etiam hic enim traditio respondet hunc conceptum minime esse univocum.

Ad hanc partem materiæ fundamentum illud vel fons secundum pertinet, qui forsitan platonius dici potest, nam quamquam a Platone ipso certe originem non capit, tamen principiis et doctrina platonica magis quam aristotelica innixus est. Doctrina hæc traditionalis enim, quæ solum Deum pro vero et in sensu proprio pro ente habet, resque creatas pro entibus mere derivatis tantum, in sensu secundario vel improprio, “analogico”,⁵ est plane mera

3. Merito, nostro iudicio. Viget enim v.g. apud s. Thomam manifesta æquivocatio termini “essendi extra”, qui distingui potest: omnis genus habet differentias quæ sunt extra essentiam eius, i.e. comprehensionem eius, concedo; extra extensionem nego. Et pariter contradistinguenda est minor: non ens esset id, quod esset extra extensionem, non autem comprehensionem entis; inde, nulla differentia est extra entis extensionem concedo, extra entis comprehensionem nego. Similiter etiam aliæ forme “aporiæ generis” distingui posse sentimus.

4. Cf. præsertim *Top.*, 144a36-b3.

5. Hic est Henrici Gandavensi modus loquendi; s. Thomas etiam sæpe dicit ens per prius de Deo quam de creatura prædicari, aliquando autem potius videtur velle nomen entis proprius creaturæ applicare, cum Deus non sit ens, sed ipsum esse subsistens, quod est super omne ens et causa entis in quantum est ens (cf. v.g. *In librum De causis*, lect. 6: «Sed secundum rei veritatem causa prima est supra ens in quantum est ipsum esse infinitum, ens autem dicitur id

transformatio priscae Platonis doctrinae de ideis, quae solae vere sint entia secundum eum – transcendentia idearum mutata est in Neoplatonismo, etiam christiano, in transcendentiam quasi unam Ideam, Dei mundi principii, unam Causam exemplaris, ubi Plato multas habuerat. Haec transcendentia est ultimatim id, quod in sententia traditionis praeccludit, ne Deus quemcumque rationem vel formalitatem communem in re habeat cum creaturis, in qua formalitate conceptus quidam univocus respectu Dei et creaturarum fundari posset. Circa hoc porro notandum quod haec “platonica” ratio, quae maximi momenti pro Scoto et Scotistis in disputando de conceptus entis univocatione respectu Dei et creaturae erat, in paulum variata forma disputabatur. De facto enim saepe non ex Dei transcendentia, sed ex Eius maxima simplicitate et perfectione ita procedebatur: videtur quod si daretur aliqua formalitas vel ratio entis in re actu reperta et in Deo et in creaturis, quae conceptum entis univocum respectu Dei et creaturae fundare posset, sequeretur imperfectio et compositio in Deo: imperfectio, quia haec ratio vel formalitas entis non posset esse infinite perfecta (alias in creaturis finitis reperiri non posset), compositio, quia aliam formalitatem exigeret, ipsam ad esse Dei contrahentem.

Infra videbimus hoc argumentum (non sane “aporia generis”) caput, ex quo tota pendeat controversia de conceptu entis inter barocis Scotistis fuisse. Nolo igitur nunc circa illum elaborare, sed postpono explicationem et analysim, donec ad hanc controversiam explorandam accedimus.

2. *Scoti doctrina de conceptus entis univocatione*⁶

Variis argumentis tam logicis, quam theologis et epistemologicis contra analogiam entis pressus, quos nos hic brevitatis causa et etiam propter eorum notitiam praetermittimus, reiecit Doctor

quod finite participat esse, et hoc est proportionatum intellectui nostro». Et multos locos in comm. in Dionysii *De divinis nominibus*).

6. Pro Scoti doctrina per extensum et accuratissime explicanda, vide A.B. WOLTER, *The Transcendentals and Their Function in the Metaphysics of Duns Scotus*, Washington D.C. 1946, vel L. HONNEFELDER, “*Ens in quantum ens*”. *Der Begriff des Seienden als solchen als Gegenstand der Metaphysik nach der Lehre des Johannes Duns Scotus*, (Beiträge zur Geschichte der Philosophie und Theologie des Mittelalters, Neue Folge, 16), Münster²1989.

Subtilis sententiam traditionis univocationem entis negantem, suamque propriam adduxit. Propter hoc faciendum vero munus ei suscipiendum quoque erat, argumenta pro adversa sententia aliquo modo in sua doctrina solvere. Observemus ergo, quænam sit eius doctrina et quomodo huic muneri suffecerit, quia hoc est radix, unde controversia inter scotistas posteriores provenit.

Priusquam autem ad Scoti sententiam de conceptu entis in speciali explicandam accedamus, necesse videtur aliquid de Scoti doctrina generali de conceptu universali ut sic et eius fundamento in re concepta commemorare: una gravissimorum difficultatum in Scoti doctrina de ente univoco enim ex realismo scotistico exaggerato provenit, ut suo loco patebit. Cuius quænam sit peculiaris natura est nunc igitur breviter exponendum.

Omnes realistæ in hoc concurrunt, quod universali conceptui formali seu actui nostri intellectus “quo” concipimus rem, aliquid obiectum universale (“conceptus obiectivus”) “quod” concipimus correspondere debere docent: nempe ipsa res, in quantum concepta. Nunc autem oritur difficultas: quo miraculo potest res, quæ est individualis in se, concipi ut aliquid universale? Respondent realistæ hoc contingere posse per “præcisionem obiectivam”: quæ est talis apprehensio rei, qua intellectus aliquid de ea (v.g. humanitatem) concipit et aliquid (v.g. individualitatem) non concipit. Sed urgebis ultra: quomodo potest intellectus aliquid rei concipere et aliquid non concipere, cum illa sit una res, in se indistincta? Hic differt responsio Scotistarum et reliquorum realistarum, præcipue Thomistarum. Dicunt Thomistæ Caietanum sequentes: hoc est possibile propter virtuales quandam seu fundamentalem distinctionem in re ipsa repertam, quæ distinctio licet non sit ullo modo actualis, sufficit tamen ad occasionem dandam intellectui nostro, eam in actum reducere concipiendo et præscindendo. Distinctio quædam eo ipso resultat, distinctio rationis ratiocinatæ dicta, quæ quidem est iam actualis, non tamen a parte rei, sed in intellectu tantum.

Hæc solutio autem non placet Scotistis, qui Scotum sequentes negant quod sit possibile, ut intellectus aliquam realitatem seu formalitatem rei conciperet et ab alia præscinderet, absque ulla distinctione actualiter inter ipsas realitates a parte rei reperta ante omne opus intellectus. Inde famosa illa doctrina scotistica

de distinctione formali: nam illa actualis distinctio inter varias formalitates seu realitates eiusdem rei, quæ a parte rei debet iuxta Scotum existere, ut sit possibilis præcisio obiectiva, nihil aliud est quam illa præclara “distinctio formalis a parte rei”: distinctio, quæ est minor reali (a qua differt in hoc quod realem identitatem non destruit), et maior distinctione virtuali “thomistica”, quæ non dicit ullam actualem diversitatem a parte rei, sed meram occasionem distinguendi a re in se actu indistincta intellectui datam.

Nota differentiam quandam non parvi momenti etiam pro nobis inter Scotistas et Thomistas ex hoc capite resultantem. Cum enim iuxta Thomistas prædicabilia (“genus”, “differentia”, “species” etc.) nihil dicant nisi intentiones secundas – id est notiones, quæ non aliquid a parte rei existens expriment, sed rationes tantum, quæ ex operatione intellectus hoc concipientis et ab illo præscindentis in rebus conceptis resultant, ita ut non dentur genus vel species qua talia a parte rei, sed in intellectu tantum –, secundum Scotistas prædicabilia tam secundo intentionaliter, quam etiam primo intentionaliter sumi possunt. Nam secundum illos formalitas seu realitas generis iam debet actu formaliter differre a parte rei a formalitate eius differentię, ut intellectus genus sine differentia vel differentiam sine genere concipere possit. Ex hoc provenit, quod cum Scotistæ de genere et differentia loquantur, hos terminos non solum ad conceptus, sed etiam et sæpe primarie ad formalitates per illos conceptus repræsentatas referunt, etiamsi explicite nomine “conceptus” utantur: sermo est enim de conceptu obiectivo, qui nihil aliud est quam ipsa res concepta in quantum concepta.

Exposita igitur doctrina Scoti de universalibus in communi, ad specialem eius de conceptu entis doctrinam mentem iam advertamus. Ubi notemus primo, quæstionem gravissimam pro Scoto fuisse, quænam sit natura conceptus entis prout prædicatur de Deo et creatura, cum de quæstione altera, scil. de ente prout prædicabili de decem prædicamentis, non multum curaret. Patet vero, cur: licet enim conceptus entis prout prædicabilis de decem prædicamentis sit transcendentalis in hoc improprio sensu, quod non est ad unicum prædicamentum restrictus, sed prædicamenta transcendit, tamen non est ita transcendens, ut insuper omne ens

finitum transcenderet et de Deo prædicabilis esset. Atqui solum illi conceptus, qui hac transcendentia sunt præditi, sunt obiectum metaphysicæ et viatorem ad cognitionem Dei ducere possunt: quod est motivum principale omnis metaphysicæ inquisitionis iuxta Scotum.

Qua de causa observari potest, in schola Scotistarum in decimo septimo sæculo iam parvam discordiam de conceptu entis prout communi decem prædicamentis exstitisse, et maiores auctores, Mastrius Ponciumque non exclusis, ad consensum pervenisse, hunc conceptum “entis finiti” nullo modo sua natura differre a ceteris generibus: immo verum summum genus esse, ad decem prædicamenta per veras differentias contractum, quibus differentias (secundo intentionaliter sumptis) in re realitates vel formalitates formaliter a realitate entis finiti distinctæ correspondent (genus et differentia primo intentionaliter sumptæ), iuxta doctrinam communem scoticam supra explicatam de distinctione formali ut conditione sine qua non præcisionis obiectivæ in conceptibus universalibus concipiendis. Unde hanc partem doctrinæ de conceptu entis scoticæ in sequentibus prætermitemus, breviter tantummodo explicato, quomodo in illa “aporia generis” absolvitur.⁷

Solutio scotistica in distinguendo suppositum asserens differentias rationem generis continere non posse consistit: hoc conceditur loquendo “formaliter”, et consequenter conceditur differentias entis formaliter non esse entia; negatur autem loquendo “realiter et identice”, in quo sensu asseritur differentias entis esse entia realiter et identice. Sensus huius distinctionis bene apparebit, si recolligamus unicam rem secundum Scotistas plures formalitates vel realitates in se comprehendere. Hæc formalitates igitur sunt realiter idem, formaliter vero distinguuntur ab invicem; et in hoc consistit distinctio realis et identicæ prædicationis a prædicatione formali:⁸ quidquid est realiter idem cum subiecto, pot-

7. Si hæc solutio est bona, nullo modo hic diiudicare volumus.

8. Hæc distinctio, qua communiter auctores Scotistæ XVII sæculi videntur uti, in re coincidere videtur cum distinctione alia, qua de facto Scotus sæpius usus est, scilicet prædicationis quidditivæ et denominativæ. Vide WOLTER, *The Transcendentals...* cit., pp. 94-98, aut HONNEFELDER, “*Ens inquantum ens*”... cit., pp. 313ss, in spec. 333-339.

est de illo vere prædicari prædicatione reali et identica; quidquid est insuper idem cum illo etiam formaliter, i.e. formaliter non differt ab illo, potest consequenter vere de eo prædicari prædicatione quoque formali. Distinctio illa ergo nihil dicit nisi differentias esse formaliter distinctas a formalitate entis, realiter vero cum ea identificatas: qua de causa de illis vere potest dici, quod sunt entia, non vero formaliter, sed realiter tantum, inquantum realiter identificantur cum re, quæ est ens etiam formaliter.

Multo graviores difficultates, quam materia hæc de conceptu entis finiti, autem illa de ente ut Dei et creaturis communi præ se fert, quæ nunc est nobis advertenda. Ut dictum est, multorum argumentorum gratia Scoto non videbatur possibile univocationem conceptus entis prout de Deo et creaturis prædicabilis negare. Ex altera vero parte, argumento ex divina simplicitate pressus, illum conceptum esse genus concedere haud voluit; qua de causa ille hoc recusaverit, nunc multo clarius possumus videre. In via Thomistarum enim vis supradicti argumenti bene evadi posset: nam secundum illos præcisio obiectiva conceptus univoci entis (si daretur huiusmodi conceptus, secundum ipsos) non argueret ullam distinctionem actualem in sui obiecto, unde simplicitas et infinita perfectio Dei salvaretur. In generali doctrina Scoti autem, conceptui generico semper correspondere debet realitas a parte rei potentialis et actu formaliter distincta a differentia ipsam realitatem contrahente et perficiente et cum ipsa “metaphysicam compositionem” faciente.

Ad hoc dilemma solvendum, Scotus duo theses posuit defenditque: primo, ens non contrahi ad esse Dei et creaturæ per differentias, sed per “modos intrinsecos” finitatis et infinitatis; secundo, non esse ulla realitas a parte rei communis Deo et creaturis, sed Deus et creaturæ esse “primo diversa” in realitate, licet non in conceptu. His in duobus dictis crux scotisticæ doctrinæ consistit et radix omnium difficultatum, quæ Scotistis erant solvendæ. Quas nos nunc indicare conabimur, significationem harum theson, quantum possibile, explicando.

Ad primam ergo, quid sit “modus intrinsecus”, a Scoto nullibi est definitum; sed ex modo eius loquendi et ex exemplo adducto intensionis albedinis constat, eum modum esse aliquam determinationem vel affectionem in re repertam, quæ non est for-

malitas vel realitas ab aliis realitatibus proprio sensu formaliter distincta, sed aliquid minus, ita ut etiam distinctio realitatis vel formalitatis et modi est minor formali. Si autem adhuc sit actualis a parte rei ante opus intellectus, an potentialis seu virtualis tantum, valde obscurum est apud Scotum, et est prima obscuritatum principalium in radice futurarum controversiarum repertarum. Secunda obscuritas est: sitne modus intrinsecus aliquid intrinsecum et constitutivum essentialiter rei modificatae in mente Scoti, an non? Videtur, quod sic, quia quod contrahit ad esse Dei vel creaturae haud potest esse quid accidentale (alias Deus et creatura essentialiter non differrent).⁹ Sed contra est, ut videbimus, testimonium Scotistarum docentium modum intrinsecum supponere rem modificatam in sua essentia iam constitutam, et etiam Scoti exemplum intensionis albedinis, quae nempe certo videtur esse extra essentiam albedinis: nam albedo remanet albedo, sive sit magis intensa, sive minus.¹⁰ Constat nihilominus, Scotum per doctrinam de modis intrinsecis argumentum illum ex divina simplicitate evadere voluisse, unde clarum est saltem, cui muneri modi intrinseci in eius doctrina sufficere debebant: nempe muneri quasi differentiarum, sed absque compositione et imperfectione causanda in Deo.

Ad alteram thesim: “primo diversa” sunt, secundum Aristotelem,¹¹ quae in nihilo conveniunt. Secundum Scotum ergo non

9. Hanc sententiam, Deum et creaturam essentialiter non differre, sed sicut maius et minus perfectum in infinitum tantum, quamquam absurda videri posset, Philippus Faber tenuit. Utrum hoc autem significat modos esse extra essentiam Dei et creaturarum, an potius, licet essentias eorum quidem intrent, eas ab invicem essentialiter tamen non diversificare (quod enim munus esset differentiarum, non modorum, qui nihil dant praeter gradum intensionis), hoc ad accuratorem sententiae Fabri pertinet scrutationem. Contra Fabrum multas rationes Mastrius adduxit, doctrinam eius absurdissimam et sui auctoris indignam appellans, in MASTRIUS, *In Met.*, disp. 2, q. 4, a. 1, n. 72, I, Venetiis 1646, p. 121a-b.

10. Vide Scotum: «cum dico “infinitum ens” non habeo conceptum quasi per accidens, ex subiecto et passione, sed conceptum per se subiecti in certo gradu perfectionis, scilicet infinitatis – sicut albedo intensa non dicit conceptum per accidens sicut albedo visibilis, immo intensio dicit gradum intrinsecum albedinis in se» (JOANNES DUNS SCOTUS, *Ord.*, I, dist. 3, p. 1, qq. 1-2, n. 58; ed. Commissio scotistica, III, p. 40).

11. Graece “τὰ ἕτερα” dicta. Cf. ARISTOTELEM, *Met.*, X, 3, 1054b23-30.

existit a parte rei ulla realitas entis communis Deo et creaturis, sed sunt duo summe diversæ realitates Dei seu entis infiniti, et creaturæ, seu entis finiti. Conceptus entis enim non exprimit “adæquate” ullam realitatem ipsi a parte rei correspondentem, sed “inadæquate” tantum et imperfecte se ad realitates Dei et entis finiti refert: distinctio adæquate et inadæquate concipiendi vero in hoc consistit, quod adæquate concipiendo hoc omne, quod est in obiecto concipitur, inadæquate concipiendo autem non omne. Etiam hic non potest dici omnia esse perfecte clara, quia autem gravissimæ dubitationes et quæstiones, quæ ad hoc poni possent, aut ipse Mastrius aut Poncius proponent; itaque eas non hic, sed infra pertractabimus. Iam enim ad principalem partem discursus nostri accedamus.

3. *Mastrii scotisticæ doctrinæ elaboratio contra Poncium propugnata*

Mastrius et Poncius cursus philosophicos pæne eodem tempore edere incipiebant; Poncius autem, etiam quia eius cursus brevior quam Mastrii erat, cursus primam editionem volumine metaphysicam complectenti iam a. 1643 coronavit, cum tomus primus Mastrii *Disputationum in XII libros Metaphysicorum* anno 1646 primum appareret. Mastrio igitur, cum tractatum suum de entis conceptu scriberet, doctrina ponciana, erga communem scotisticam positionem valde critica, nota iam fuit et consequenter eius censuram in suum discursum includere potuit. Nimirum Poncius, qui, ut solebat, etiam in hac materia suum proprium iudicium magis quam scotisticam communem sententiam secutus est, parvum applausum apud Mastrium, “orthodoxiæ scotisticæ” arduum defensorem, invenit. Ut autem melius Mastrii propriam doctrinam ac fundamenta eius intelligamus, doctrinam Poncii fuse præmittamus.

3.1 *Doctrinæ Poncii expositio*

Circa Poncii doctrinam maxime est notabile, quod ille nullam prorsus differentiam conceptus entis a quodam alio conceptu generico concedere vult, et quidem non solum quoad conceptum entis ut communem decem prædicamentis (i.e. quoad con-

ceptum entis finiti), sed etiam quoad conceptum entis generalissime sumptum, ut de Deo et creaturis predicabilem. Radix eius argumentorum, quibus utitur ad hanc positionem probandam, in paritate rationum consistit: non enim ullam rationem invenire posse Poncius se observat, quæ aliquid (v.g. distinctionem formalem a parte rei) argueret respectu ceterorum conceptuum genericorum, non tamen respectu conceptus entis. Docet itaque Poncius conceptum entis dicere realitatem a parte rei distinctam, in Deo sicut in creaturis repertam, rationem generis habentem.

Quomodo vero solvit Poncius duo prædicta argumenta traditionis probantia ens non esse univocum, neque genus? Respectu primi, "aristotelici", Poncius simpliciter negat esse absurdum quod ens finitum est genus,¹² innixus data explicatione doctrinæ communis scotisticæ de reali, non tamen formali prædicatione conceptus entis de distinctionibus.¹³ Argumentum secundum autem difficile est Poncio ad respondendum. Poncius enim in primis reicit responsionem communem scotisticam, quæ Dei simplicitatem et transcendentiam conatur salvare inducendo modos intrinsecos ut entis contrahentia, loco differentiarum. Poncius multa argumenta adducit contra hanc doctrinam, quam sibi semper difficilem visam esse dicit; quæ argumenta fundamentaliter ex hoc procedunt, quod nempe ultimatim nullam differentiam facit, sive contractiva entis sint modi sive differentiæ, quia nulla apparet ratio cur potius sequerentur illa inconvenientia, ut compositio vel potentia in Deo, ex contractione entis per differentias quam per modos, si quidem datur formalis distinctio utrobique. Immo non posse bene declarari, ait Poncius, quænam re vera sit differentia inter modum et differentiam: quomodocumque enim explicetur definitio modi tradita "qui non variat rationem formalem constituti", aut etiam differentiæ convenire videtur, aut neutri amborum.¹⁴

Ad removendam hanc difficultatem de Deo igitur Poncius propriam solutionem excogitavit, quam nos hic prætermittere possu-

12. Joannes PONCIUS, *Met.*, disp. 2, q. 3, c. 2, n. 27; in IDEM, *Integer philosophiæ cursus ad mentem Scoti*, Lugduni 1659, p. 890a.

13. *Id.*, c. 1, nn. 20-24, pp. 888b-890a.

14. *Id.*, c. 2, nn. 28-33, pp. 890b-891a.

mus;¹⁵ sufficiat dici quod Poncius conatur ostendere realitatem entis in Deo non præ se ferre potentiam et imperfectionem neque facere compositionem metaphysicam cum differentia (licet sit formaliter ex natura rei distincta – similiter ac attributa Dei, secundum Scotistas communiter), propter huius realitatis independentiam tam quoad se, tam quoad coniunctionem cum differentia.¹⁶ Tandem, in novioribus editionibus sui cursus, auctoritate Scoti pressus modos intrinsecos omnino ex philosophia sua eicere nolens, locum quendam illis assignavit, laboriose eos distinguendo tam a differentiis essentialibus individualique, quam a proprietatibus seu passionibus, sic hanc (claram et patentem inquit) descriptionem obtinens dicentem modum intrinsecum esse

aliquid superadditum formaliter rei, ipsique realiter identificatum, quod neque sit proprietas ipsius nec variat rationem formalem ipsius ex coniunctione ipsius cum ipsa sic, ut faciat ipsum esse aut specie, aut numero distinctum ab ullo a quo non esset specie, aut numero distinctum sine coniunctione cum illo superaddito, quamvis non superadderetur ipsi, aut quamvis non esset, nec realiter identificaretur ipsi.¹⁷

Aliquid amplius de hac descriptione seu definitione in conclusione dicemus, in præsentia iam vero ad Bartholomæum Mastrium.

3.2 *Doctrinæ Mastrii examinatio*

Ex doctrina Mastrii de conceptu entis (prout prædicabili de Deo et creaturis) tres theses notabiles præsertim colligi possunt: *a*) conceptum entis non fundari in aliqua communi realitate entis ab eius contractivis formaliter distincta, tam in Deo quam in creatura reperta; *b*) modos intrinsecos non esse constitutiva essentialia Dei et creaturæ, sed eos mere a posteriori dici contrahe-

15. *Id.*, nn. 34-36, p. 891a-b.

16. Poncius hanc solutionem ita breviter exprimit in *Additione sua contra Mastrium* in *Met.*, disp. 2, q. 2: «non quæcumque contrahibilitas ex natura rei arguit potentialitatem imperfectam requisitam ad compositionem, sed illa quæ est cum dependentia a causa extrinseca, qualis non est in ente ut sic, respectu modi aut differentia, qua contrahitur ad Deum».

17. PONCIUS, *Met.*, disp. 2, q. 3, add. *de modis intrinsecis*, p. 900a.

re ens ad Deum et creaturam; c) conceptum entis non esse pure univocum, sed analogum univocum.

Hanc tertiam nos autem hic prætermittimus; videtur enim quod hac in materia solummodo in quæstione (sitne scil. ens conceptus univocus aut analogus univocus) de nomine hæretur. Asserendo analogiam quandam conceptus entis enim Mastrius nihil aliud velle videtur quam ens non ex æquo a Deo et creatura participari, sed perfectius esse in Deo quam in creatura – per quod Mastrius tamen minime vult negare totam rationem obiectivam entis reperiri tam in Deo quam in creatura (licet neutrobi que qua formaliter distinctam a sui contractivis); qua de causa hæc imperfectio participationis illi conceptui mere extrinseca videtur, si logice consideratur.¹⁸ Animadvertemus autem theses primam secundamque.

Quoad thesim primam, Mastrius sententiam Poncii et plurimorum aliorum Scotistarum de formali distinctione entis a sui contrahentibus (quæcumque hæc sunt) acerrime reiecit, eiusque loco distinctionem virtuales (“thomisticam”) posuit.¹⁹ Ratio fundamentalis cuius est, quod Mastrio non visum est possibile ullo modo reconciliare distinctionem actualem a parte rei, sive sit differentie a genere, sive modi a modificato, cum Dei simplicitate et perfectione. Re vera videtur Mastrius accepisse rationes quasdam Poncii, urgentes meram substitutionem modorum pro differentiis nihil solvere;²⁰ nihilominus neque solutio Poncii Mastrio pla-

18. Confirmatur hanc quæstionem esse mere de nomine testimonio Crescentii Krisperi, qui doctrinam Mastrii quoad rem accipit, reiecit tamen quoad nomen, dicens quod melius sit iuxta Scotum dicere “ens esse ab intrinseco univocum admittens ab extrinseco analogiam imperfectam”, quam iuxta Mastrium “esse analogum admittens univocationem”. Cf. Crescentium KRISPER, *Philosophia scholæ scotisticæ*, Met., disp. 1, q. 7, Augustæ Vindelicorum 1735, pp. 35b-36a.

19. «Respectu substantiæ, et accidentis, conceptus entis est ex natura rei actualiter præcisus, non tamen respectu Dei et creaturæ» (MASTRIUS, *In Met.*, disp. 2, q. 4, a. 1, n. 67, p. 117b).

20. «Tum quia his omnibus admissis, quod scilicet finitum et infinitum sint modi intrinseci entis, et posse per eos primo contrahi realitatem communem», quam sententiam vero Mastrius supra reiecit, «adhuc non evitatur compositio Metaphysica in Deo, quia iuxta allatam in responsione doctrinam reperitur in Deo aliqua realitas, quæ non est de se hæc, sed communis, quæ contrahitur per modum intrinsecum ad Deitatem, quia adhuc ex natura rei modaliter ante opus intellectus ab ea secernitur, et ab ente contracto, atque ideo cum realitate con-

cuit.²¹ omnino enim negat Mastrius, quod sit possibile aliquod genus non esse vere limitatum et potentiale, siquidem realitatem dicit formaliter distinctam; atque ideo si finitas dependentiaque sint conditiones necessariae perfectibilitatis et compositionis, potius sit etiam negandum ens in Deo dicere realitatem formaliter distinctam, quam infinitatem independentiamque Dei ut rationes adducere ad probandum, quomodo Dei simplicitas stet cum distinctione formali inter formalitatem entis et differentiae ipsam contrahentem ad esse Dei.²²

Remansit ergo Mastrius negare absolute distinctionem actua-lem realitatis entis a sui contractivis. Secundum Mastrium, conceptus entis, licet sit univocus et praecisus, tamen non fundatur super unam realitatem formaliter distincta, tam in Deo quam in creaturis reperta; sed Mastrius eum immediate abstrahi docet a realitatibus Dei et creaturae, quae in re sunt primo diversa.²³ Quae immediata abstractio ideo est possibilis, quia Deus et creatura similitudinem quandam fundamentalem seu inchoatam dicunt – huiusmodi similitudo sufficit secundum Mastrium ad abstrahendum conceptum communem inadaequatum, cum ad adaequatum conceptum abstrahendum requiretetur convenientia in aliqua realitate actu formaliter distincta.²⁴ Compositio ergo entis cum sui con-

tracta aliquam efficit compositionem» (*Id.*, n. 71, p. 120b). Cf. PONCIUM, *Met.*, disp. 2, q. 3, c. 2, n. 30, p. 890b: «Præterea, difficile est ostendere, cur sequeretur potius compositio in Deo ex eo, quod includeret formalitatem entis distinctam formaliter a modo intrinseco, et aliam formalitatem differentiae, quam ex eo quod includeret illam formalitatem et modum intrinsecum».

21. MASTRIUS, *In Met.*, disp. 2, q. 5, a. 2, nn. 132-134, pp. 169b-173b.

22. Nota praesertim: «potius ex hoc quod ens in Deo non est finitum, nec potentiale ad aliud deducere debebat, quod in eo non importet realitatem per differentias contrahibilem» (*Id.*, n. 132, p. 171b).

23. «Quare (...) concludimus (...) ens non importare realitatem communem ex natura rei praecisam a Deo, et creatura, illisque communem, sed simplicissimum conceptum immediate abstractum ab intellectu a particularibus rationibus Dei et creaturae inadaequate conceptis, qui deinde per actum intellectus rursus referentem illum communem conceptum ad inferiora contrahitur ad illas per particulares conceptus finiti, et infiniti dicentes quale» (*Id.*, q. 4, a. 1, n. 75, p. 123b).

24. Nota praesertim: «Alio modo dici potest res aliqua concipi confuse, et indistincte, quia inadaequate concipitur ob aliquam convenientiam, et veluti inchoatam similitudinem, quam habet cum alia re, et in hoc sensu res concipi dicuntur, quando attinguntur secundum gradus transcendentales» (*Id.*, n. 81, p. 128a-b). Item: «licet ergo Deus, et creatura in nulla realitate communi actua-

tractivo non fit in realitate, ubi est perfectissima simplicitas, sed in conceptibus tantum.

Vix dubium esse videtur, hoc solo modo sententia Scoti de prima diversitate Dei et creaturæ in realitate salvari posse; attamen hæc doctrina Mastrii gravissimæ obiectioni est exposita, qua in superanda, ut putamus, Mastrius non bene successit (et re vera eam haud esse superabilem putamus). Difficultatem hanc Mastrius Poncius obiecit, cuius argumentum fundamentale simplicissime ita exprimi potest. Argumenta scotistica probantia distinctionem actualem a parte rei (sive sit modi a realitate, sive realitatis a realitate) ut conditionem sine qua non a parte rei abstrahendi conceptum univocum, sunt eadem respectu conceptus entis et respectu cuiuslibet alii conceptus. Si ergo possunt solvi quoad conceptum entis, ubique possunt solvi, et perit omnino doctrina scotistica de distinctione formali. Aliis verbis: si distinctio mere virtualis hic sufficit, ubique sufficit, et est substituenda pro distinctione formali universim.²⁵

Instantia hæc Mastrius non erat ignota, et duas quasdam eius formas duobus in locis solvere conabat. Locus primus est, ubi Mastrius sibi argumentum obiecit, quo communiter ad formalem distinctionem probandam utitur:²⁶ impossibile scilicet esse aliqua plura secundum eandem rationem simul convenire et differre; hoc autem contingeret, si ratio entis, in qua Deus cum creaturis convenit, in re omnino eadem esset cum rationibus propriis Dei, quibus ab creaturis differt.²⁷ Mastrius respondet negando simili-

liter convenient, tamen quia habent quandam convenientiam, et similitudinem fundamentalem, seu virtualem (...), ideo potest intellectus inadæquate concipiens abstrahere ab illis aliquam rationem communem in qua inadæquate concipiuntur» (*Id.*, n. 82, p. 128b).

25. PONCIUS, *Met.*, disp. 2, q. 2, add., pp. 885a-888b. Nota præsertim p. 885a-b: «Scio Thomistas conari solvere hæc et similia argumenta, quæ adducunt Scotistæ ad probandam distinctionem formalem graduum Metaphysicorum, mediante sua distinctione virtuali aut fundamentali aut rationis ratiocinata; et sic etiam fortassis respondebit Mastrius. At si hic valeat illa responsio, ubique valebit, et sic nullibi poterimus probare distinctionem formalem».

26. Pro toto discursu vide MASTRIUM, *In Met.*, disp. 2, q. 4, a. 1, nn. 86-88, pp. 131a-132b.

27. «Secundo obiecit, et est præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum (...). Impossibile est aliqua plura secundum unam, et eandem rationem omnino simul convenire, et differre, et ratio huius est, quia (...) similitudo, et convenientiam

tudinem inchoatam seu fundamentalem Dei et creaturæ esse “actuali” et “positivam” (licet realem eam esse concedat); ergo nulla contradictio, quia dissimilitudo actualis bene stat cum similitudine mere virtuali, immo absque distinctione ulla formali ad hæc duo resolvenda requisita.²⁸ Ad quæstionem autem, quare similitudo inter Deum et creaturam non est actualis et positiva, bene tamen inter hominem et equum, respondet disparitatem esse, tum quod Deus et creatura in realitate sint primo diversa, tum quod infinita vigeat distantia eorum ab invicem in perfectione – quorum neutrum contingat quibuslibet duabus creaturis.²⁹

At hæc responsio non videtur nobis esse ad propositum: nemo enim negat Deum et creaturam in hoc sensu actualiter et positive similes non esse; quærimus autem, unde sumitur hanc similitudinem dari inter hominem et equum. Et si dicetur id deduci ex hoc, quod illi ante opus intellectus actualiter et positive conveniunt in esse animalis, respondebitur hoc videri esse omnino gratis dictum: non enim est adhuc probatum dari aliquam

tia fundantur super unitatem, distinctio, et diversitas super multitudinem; sed Deus, et creatura realiter conveniunt in ratione entis, realiter etiam differunt rationibus propriis Dei, et creaturæ; ergo si ratio entis a parte rei nullo modo differt a Deo, et creatura, sequitur Deum et creaturam secundum eandem rationem, ac entitatem simul convenire, et differre» (*Id.*, n. 86, p. 131a).

28. «(...) dicimus nullum esse inconveniens primo diversa in realitate, convenire in conceptu (...); sed hic maxime advertendum (...) similitudinem hanc realem inter Deum et creaturam in ratione essendi ante abstractionem conceptus entis non esse actuali, et positivam (...); quare ad argumentum principale dicendum est nullum esse inconveniens aliqua plura secundum unam, et eandem rationem simul convenire et differre, dummodo id eodem modo non contingat» (*Id.*, n. 87, p. 131b). «Sed dices per hanc solutionem penitus enervari principale fundamentum, quo Scotus admittit naturas communes a parte rei 2. d. 3. q. 1. nam precipue fundatur in hac contradictione, quod homo a parte rei convenit cum asino, et equo, ut animal est, differt ab ipsis, ut rationalis est, ergo istæ sunt diversæ formalitates ex natura rei (...). Respondeo negando consequentiam, quia in ea ratione Doctor loquitur de similitudine reali, actuali et positiva (...), talis autem non est similitudo, quæ inter Deum et creaturam invenitur in ratione entis» (*Id.*, n. 88, p. 132a).

29. «Respondeo non esse voluntarie dictum, sed satis rationabiliter, quia nimirum species, et individua non sunt primo diversa, sed aliquid idem entia. i. in aliquo realiter convenientia (...); at Deus, et creatura sunt inter se primo diversa in realitate (...). Tum quia nulli dubium est magis distare sine ulla proportionem Deum, et creaturam abinvicem, quam duas species, vel duo individua sub eadem specie, et ideo mirum non est, si hæc aliquam actuali positivam similitudinem fundare possunt, non illa» (*Id.*, p. 132a-b).

aliam convenientiam vel similitudinem a parte rei quam meram virtualementem. Argumentum enim commune scoticum ex necessitate resolvendi contradictionem hic adduci nequit, ne peteret principium, ut patet.

Altero loco Mastrius vidit esse necessarium rationem reddere, cur gradus prædicamentales non contrahantur per modos intrinsecos, sicut gradus transcendentis (et præcipue ens),³⁰ et fateatur rationem reddi nequit, nisi quia conceptus prædicamentales cum suis contrahentibus compositionem conficiunt metaphysicam, non autem conceptus transcendentis.³¹ Efficacia huius responsionis autem, ut patet, a probatione præcedente compositionis metaphysicæ (et scilicet scoticæ, non meræ thomisticæ) rerum prædicamentaliū dependet; et hæc compositio rursus non videtur posse probari, nisi per probationem distinctionis formalis inter gradus prædicamentales. Quem probationem, ut videtur, reddit discursus Mastrii modo descriptus valde difficilem.

Prætermittendo nihilominus hanc difficultatem, videtur Mastrius in hoc primo puncto melius successisse in fidelitate Scoto, quam Poncio: nam in Poncii doctrina haud salvari potest Scoti dictum quod Deus et creatura sunt primo diversa in realitate, ut ipse Poncius concedere cogitur;³² cum ex Mastrii sententia hoc

30. «Sed hæc ratio non plene satisfacit, nisi bene intelligatur, et reddatur ratio, cur conceptus entis, et aliorum transcendentium per modos intrinsecos contrahantur, non autem alii gradus prædicamentales communes» (*Id.*, q. 6, a. 2, n. 158, p. 188a).

31. «Et plane discriminis huius alia ratio reddi nequit, nisi quia conceptus prædicamentales ita determinantur per sua contrahentia, ut cum eis compositionem veram conficiant Metaphysicam (...) conceptus vero transcendentis ita per sua contrahentia determinantur, ut non efficiant cum eis compositionem Metaphysicam» (*Id.*, n. 159, p. 189a).

32. Evadunt hanc objectionem ex Scoti auctoritate illi Scotistæ, qui distinctionem formalem entis a sui contrahentibus docent, distinguendo realitatem obiectivam et subiectivam, et concedendo Deum et creaturam esse primo diversa in realitate subiectiva, non tamen obiectiva. Hanc tamen fugam Mastrius persuasive reicit (*Id.*, q. 4, a. 1, n. 70, p. 119b), et neque Poncius ea uti potest: secundum eum enim "primo differre in realitate subiectiva" hac in doctrina nihil aliud dicit quam per modos intrinsecos differre, et non per differentias, servata convenientia in ratione quadam communi formaliter distincta; cf. eius *Met.*, disp. 2, q. 2, c. 5, add., p. 888a-b. Reiectis autem modis intrinsecis, distinctio inter subiectivam et obiectivam realitatem hoc modo intellecta omnino perit, ut patet.

statim sequi pateat; videtur etiam doctrina Scoti de inadæquate concipiendo nullum habere locum apud Poncium. Ubi primum autem thesim Mastrii secundam animadverterimus, valde dubium esse videbimus, an doctrina eius cum Scoto consonat.

Si enim Poncius negat ens contrahi ad Deum et creaturam per modos intrinsecos finitatis et infinitatis, etiam Mastrius hoc de facto negat, licet non ita aperte. Nam cum Mastrius insufficientiam doctrinæ de modis intrinsecis ut entis contractivis ad Dei simplicitatem et perfectionem salvandam manifestat, hoc modo Scoti mentem explicat:³³

Sed hæc communis Scotistarum solutio procedit ex doctrina Scoti circa contractionem entis ab aliquibus non bene intellecta, quia enim sæpe inquit ens contrahi ad Deum et creaturam per finitum, et infinitum, putant hanc esse contractionem a priori, quasi una natura seu realitas communis possit primo contrahi ad plura essentialiter distincta per modos intrinsecos, quod est omnino falsum, quia sicut modus rei intrinsecus non constituit rem in suo esse specifico, et quidditativo, sed sic constitutam supponit, ita distinctio modalis plurium iam supponit distinctionem specificam, atque ideo modus nequit esse prima ratio contrahendi realitatem communem ad constituendum plura essentialiter distincta; antecedens ab omnibus conceditur præsertim in schola nostra, quia modus intrinsecus est extra essentiam rei, nec unquam rem essentialiter variat, sicut facit differentia...

Et ultra procedit Mastrius probando consequentiam multis rationibus, quas hic repetere superfluum videtur, supposito enim modum intrinsecum non esse quid essenziale rei, consequentia Mastrii satis evidenter patet. Secundum Mastrium igitur modi non sunt id quo Deus et creatura essentialiter constituuntur in sua specie, sed potius aliquid secundarium, quod ex realitate Dei vel creaturæ iam constituta resultat. Hic notanda est obscuritas quædam, quam ne quidem Princeps Scotistarum, ut videtur, evadere effecit.

Quæritur enim: ubi locum habet distinctio illa virtualis, quem Mastrius ponat ut fundamentum in re præcisionis conceptus entis? Certe non inter realitatem Dei aut creaturæ et modos eorum intrinsecos. Tum quia ipse Mastrius eam distinctionem "formalem

33. MASTRIUS, *In Met.*, disp. 2, q. 4, a. 1, n. 71, p. 120a.

modalem” appellat et ipsam ad formalem reduci debere tenet, sicut distinctio modi extrinseci a re modificata seu distinctio realis modalis ad realem est reducenda.³⁴ Tum quia modi intrinseci iuxta Mastrii doctrinam essentiam Dei non constituunt, nec creaturæ ut sic, ut supra dictum est, atque ideo Deus et creatura non solum per modos intrinsecos finitatis et infinitatis, sed etiam et principaliter per suas proprias realitates ab invicem differre debent. Ergo conceptus entis communis non solum a modis intrinsecis præscindere debet, sed insuper etiam a “parte” quadam utriusque harum realitatum, quæ est quasi “differentia thomistica”, ut ita dicam, modo thomistico a priori contrahens ens ad esse Dei vel creaturæ; et consequenter rursus distinctio virtualis, quæ est fundamentum in re distinctionis rationis ratiocinatæ conceptus obiectivi entis ab eius contrahentibus, inter “genus thomisticum” entis intercedere deberet, et relictam totius realitatis Dei aut creaturæ “partem”, qua integra realitas Dei ab integra realitate creaturæ differt, et quæ ad rationem entis ut differentia thomistica mere virtualiter ab ea distincta se habet.

Hoc autem Mastrius nullibi clare explicat, immo rem valde obscurat, cum passim (Scoti modum loquendi sequens) conceptum entis esse inadæquatum non propter præcisionem a parte quadam mere virtualiter distincta realitatis Dei vel creaturæ ut sic dicit, sed propter præcisionem a modo intrinseco huius realitatis – quasi simplicitatem Dei non per meram virtualement distinctionem in Dei realitate, sed per compositionem realitatis entis cum modo, qui nullam realitatem præ se fert, defendere vellet.³⁵ Est valde notabile Mastrium numquam aliquid aliud contractivum entis assignasse, quam modos intrinsecos; attamen cum de distinctione virtuali inter ens et eius contractiva loquitur, numquam expresse dicit, quid sit hoc contractivum, sed loquitur de distinctione virtuali inter ens et Deum aut creatura, seu inter ens et conceptus inferiores, ita ut mentionem directam huius rationis contractivæ evitet.

34. «Et ad hanc distinctionem <scil. formalem> debet reduci distinctio, quæ versatur inter rem, et modum eius intrinsecum» (MASTRIUS – BELLUTUS, *In Org.*, disp. 1, q. 5, a. 2, n. 80, Venetiis 1646, p. 222b).

35. Cf. MASTRIUM, *In Met.*, disp. 2, q. 6, a. 2, n. 159, p. 189: «Intantum ergo bene dicitur ens per modos contrahi, et non per differentias, inquantum asseritur dicere conceptum inadæquatum, et non realitatem».

Dicit Mastrius contractionem entis per modos intrinsecos esse mere “a posteriori per intellectum cum fundamento in re”.³⁶ Quid autem hoc significat? Si Mastrius vellet contractionem entis per modos esse huiusmodi, quam Thomistæ docent fieri in omni ordine prædicamentali,³⁷ hoc significaret fundamentum ille in re huius contractionis esse distinctionem virtualemente intra realitatem Dei aut creaturæ, et ipsam inter rationem entis et modum intercedere: quod est contra Mastrii principia, ut patet, tum quia Mastrius expresse docet distinctionem modi a formalitate esse actualemente a parte rei, tum quia sic modi essent constitutiva essentialia Dei et creaturæ ut sic.

Si autem, ut alibi videtur,³⁸ per “contractionem a posteriori” Mastrius quasi contractionem per accidens intenderet, ita ut modos mere sicut signa accidentalialia et extrinseca distinctionis cuiusdam essentialis se haberent, per quæ signa nos Deum a creatura discernere debemus, propter ignorantiam distinctionis essentialis, tunc contractio hæc non esset per intellectum cum fundamento in re tantum, sed vere ex natura rei, nam distinctio modi intrinseci a realitate est actualis ante opus intellectus secundum Mastrium. Præterea: si modi intrinseci sunt extra essentiam Dei et ab ea actualiter a parte rei distinguuntur, omnino perire videtur solutio argumenti ex divina simplicitate (nisi diceretur distinctionem formalem extra essentiam Dei repertam non obstare, sicut a Scotistis distinctio formalis Dei attributorum a sua essentia dicitur non obstare – hoc autem iam esset aliud argumentum).

Quæstio igitur constat, quare Mastrius in hanc obscuritatem incidit. Cuius causa videtur esse, Mastrium propriam suam doctrinam ut meram doctrinæ Scoti explicationem proponere voluisse, licet hæc duo doctrinæ significanter differrent. Nam si consequentiæ omnes admitterentur Mastrii sententiæ, quæ negat mo-

36. *Id.*, q. 4, a. 1, n. 75, p. 123b.

37. «(...) ita contractio entis quæ fit per infinitum et finitum censi debet contractio a posteriori facta per intellectum cum fundamento in re, non a priori» (*Ib.*).

38. «(...) cum ergo modi intrinseci non sint prima constitutiva Dei, et creaturæ, non erunt consequenter prima distinctiva eorum et prima divisiva realitatis entis, sed tantum a posteriori eo pacto, quo animal divideretur per admirativum et non admirativum» (*Id.*, n. 71, p. 120b).

dos intrinsecos esse essentialia constitutiva Dei et creaturæ ut sic, sequeretur huiusmodi in doctrina modos intrinsecos finitatis et infinitatis nullum prorsus munus in essentiali constitutione Dei et creaturæ explicanda exercere, et loco eorum principium quoddam “essentiale” et entis “a priori” contractivum (licet mere virtualiter in re ab ente distinctum) esse assignandum. Si quidem in huiusmodi doctrina modi intrinseci non darentur, adhuc posset stare doctrina de conceptu entis univoco inadæquato, in ratione entis reali sed a rationibus sui contractivis (non modis intrinsecis, sed quasi differentiis “thomisticis”) mere virtualiter distincta fundato.

In originali Scoti doctrina autem modi intrinseci præcise ideo introducti esse videntur, ut data Dei simplicitate univocatio entis salvaretur (licet Mastrius id neget³⁹). Conceptus enim entis non est ideo inadæquatus apud Scotum, quia ab una “parte” realitatis virtualiter distincta præscindit et aliam intendit (ad quod Mastrii doctrina reduceretur, si consequenter expliceretur), sed quia a “modo intrinseco” dictæ realitatis abstrahit.⁴⁰ Et quia hoc non est differentia, sed modus, qui nullam propriam realitatem præ se fert nec rationem ullam formalem quidditativam dicit, ideo distinctio, qua iste modus a suo modificato differt et quæ occasionem dat ad conceptum entis inadæquatum formandum, est debilioris distinctione formali et reali simplicitati Dei non obstat.

Hæc duas doctrinas Mastrius in unam conflare conatus esse videtur: ex quo ortæ sunt dictæ difficultates.

39. «Denique falsum est Scotum loc. cit. 1. d. 8. q. 3. ad 1. prin. hoc modo evitare compositionem Metaphysicam in Deo, ut enim manifeste constat in solutionibus, quas affert ibidem ad quasdam replicas sub lit. Aa, et Bb, per hoc præcise salvat simplicitatem Dei, quod entitas, ut reperitur in Deo, est de se hæc, et non contracta per aliud a parte rei, sive habeat rationem modi, sive differentię; quod etiam prius docuerat 1. d. 3. q. 2. I. ubi hoc non obstante, significat, quomodo adhuc abstrahi possit communis conceptus entis a Deo» (*Id.*, pp. 120b-121a).

40. «Requiritur igitur distinctio inter illud a quo accipitur conceptus proprius non ut distinctio realitatis et realitatis, sed ut distinctio realitatis et modi proprii et intrinseci eiusdem; quæ distinctio sufficit ad habendum perfectum conceptum vel imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit communis et perfectus sit proprius» (JOANNES DUNS SCOTUS, *Ord.*, I, dist. 8, p. 1, q. 3, n. 139; ed. Commissio scotistica, IV, pp. 222ss).

Conclusio

Si Mastrii et Poncii doctrinas comparemus, tum similitudines, tum dissimilitudines inveniemus. Similitudo maxime notanda est, quod tam Mastrius quam Poncius modos intrinsecos intra essentiam rei ut eius constitutiva admittere nolebant. Hoc inventum valde notabile est ideo, quia in tali doctrina omnino perit, quod originale Scoti motivum fuisse videtur, cur modos intrinsecos introduxit: nempe ut aliqua principia essentialia et contractiva, distinctionem formalem vero non importantia, obtineret, quos loco differentiarum substituere posset, ad difficultatem respectu Dei simplicitatis solvendam.

Ambo auctores nostri, et sunt sine dubio duo optimorum Scotistarum, nisi duo optimi, ad opinionem pervenerunt, modos intrinsecos hoc munus exercere sane non posse. Consequenter ambo alia principia essentialia, contractiva entis et constitutiva Dei et creaturæ ut sic, quam modos intrinsecos finitatis et infinitatis, introducere debuerunt. Modi intrinseci ad hæc principia essentialia in illorum doctrina mere secundarie consequuntur, essentiam rei non intrantes.

Secundum Poncium hæc principia sunt ordinariæ differentię scotisticæ, formaliter ex natura rei distinctæ a realitate entis. Accipiendo hanc doctrinam Poncius quidem difficultati gravissimæ de argumentis, quibus distinctio formalis a parte rei communiter probatur, evasit, in aliam difficultatem vero non minus molestantem de Dei simplicitate salvanda incidit.

Mastrius e contrario alteram partem dilemmatis elegit: prætermittis obscuritatibus illis supra expositis doctrina eius ad hoc reducitur, quod principia illa “essentialia”, quibus Deus et creatura formaliter differunt, de facto sunt quasi differentię thomistice sumptæ, ad ens sicut ad genus thomisticum advenientes: ita ut mera distinctio virtualis (accuratius “virtualis maior” dicta iuxta nomenclaturam thomisticam) intercedat inter hos duo. Hæc explicatio enim nihil est quam Mastrii de virtuali et inchoata similitudine Dei cum creatura in ratione entis doctrina aliis verbis posita: quod autem hæc “quasi differentię” cum modis intrinsecis finitatis et infinitatis non sunt identificandæ (Mastrii in doctrina), manifeste ex hoc sequitur, quod Mastrius negat Deum

et creaturam primo et essentialiter differre per modos intrinsecos, et etiam quia, ut dictum est, distinctio realitatis a modo reducitur ad formalem secundum ipsum. Tamen autem Mastrius veram naturam et consequentias suæ doctrinæ perspexisse non videtur: nullibi enim de his essentialibus rationibus contractivis verbum facit, immo uno in loco contractionem entis per modos ita explicat, quod sit contractio facta mere per intellectum cum fundamento in re, ex quo videtur sequi meram distinctionem virtualementer inter modum et realitatem modificatam – quod contradicit generali Mastrii doctrinæ de natura distinctionis modi a realitate.

Hoc prætermittendo autem dicere possumus, quod reiciendo distinctionem formalem inter ens et eius contractiva Mastrius optime (et unico possibili modo, nostro iudicio) Scyllam difficultatis de Dei simplicitate evasit, eo ipso autem Charybdis in fauces directe invehit: nam, ut supra est explicatum, ubi primum concessum erit argumenta distinctionem formalem probantia alicubi solvi posse, haud possibile erit aliis in locis ea ut invincibilia defendere.

Ex omni nostro discursu enim conclusio sequi videtur, difficillime hæc tria consistentem coniungi posse: scilicet doctrina de distinctione formali, simplicitas Dei, univocatio entis. Hæc tensio iam in originali Scoti doctrina videtur esse reperta: ibi autem nondum ita clare vigeat, nam propter inclaritatem circa relationem modorum intrinsecorum ad essentiam rei erat obscurata. Ubi primum hæc inclaritas est remota, videndo absurditates, quæ orientur, si modi intrinseci finitatis et infinitatis pro essentialibus constitutivis Dei et creaturæ haberentur, insufficientia modorum ad munus requisitum manifeste patuit, et problema originale Scoti est restitutum: quæstio nempe illa, “quomodo stat univocitas entis cum Dei simplicitate, supposita doctrina de distinctione formali”? Quæ quæstio, nostro iudicio, adhuc insoluta remanet.

